



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Praxis Bene Meditandi**

**Berzetti, Nicola**

**Coloniae Agrippinae, 1658**

Praxis Meditandi.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56496](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56496)



*Praxis Meditandi*

Etia, cum quibus ipsa colloquia  
instituta fuerunt.

*Praxis Meditandi.*

**P** R I M ò qui mane meditati-  
tus est, pridie bis tenè atten-  
tè legat materiam meditationis:  
prævideat diligenter qualia de-  
beant esse præludia, unum aut  
plures sibi scopos, pro materiae  
capacitate statuatur, advertat quid  
circa puncta considerari possit,  
in particulari in materijs vitæ  
Christi, & Sanctorum observet,  
Personas, Verba, Opera, quæ in  
quolibet illorum continentur.

Secundò post cubitum ante so-  
mnum, modico temporis spatio,  
quo



*Praxis meditandi.*

quo semel Saluatio Angelica recitari posset, cogitet de horâ, quâ surgendum erit, &, breuiter materiam meditationis recolat, 1. demq; faciet, quoties de nocte euigilare contigerit.

*Tertio* manè expergefactus statim proponat diligenter seruire additiones, quæ ad bene meditandum plurimum conferunt, deinde exclusis omnibus aliis cogitationibus, animum ad illud applicet, quod paulò post meditaturus est, excitando in seipso affectum aliquem meditationi faciendæ conformem, & hoc mediante aliquâ similitudine, quam mente secum pertractet, vel veruculo aliquo: Scripturæ

(\* ) ( )

aut



*Praxis*

aut alicuius S. Patris Sententiâ.  
Quod hic & supra S. primo dictum  
est de preparatione, cum proportio-  
ne faciendum est, per quartam circi-  
ter horæ partem, ante quamlibet me-  
ditationem etiam interdiu facien-  
dam.

Quartò, meditationem aggres-  
surus, imaginetur se ab Angelo  
suo Custode, aut S. aliquo tute-  
lari invitari, ut sese divino con-  
spectui sistat, & aquâ lustrali ac-  
ceptâ signet se signo Crucis, cum  
intentione Dæmonem procul  
ab eo loco arcendi, ne impediat:  
deinde cum magnâ aviditate  
spirituali pascendi & satiandi a-  
nimam suam in conspectu Dei  
ad locum meditationis accedet.

*Quinto*



*Meditandi.*

Quinto, uno vel gemino adhuc passu à loco meditationis distans, per tantillum tempus, quo percurri oratio Dominica posset, animo sursum elevato consideret Dominum nostrum Iesum præsentem ut Deum & hominem, vel Sanctissimam Trinitatem, aut ne imaginatione errer, eliciat actum fidei quàm potest vivacissimum, credendo Deum præsentem esse, & spectare quidnam acturus sit: illique humili gestu reverentiam exhibeat.

Sexto, genu flectens adoret Deum, illique benedicat his aut similibus verbis. *Benedicta sit Sancta & Individua Trinitas, nunc & semper, & per infinita sæcula sæculo.*



*Praxis*

*rum, Amen. Adoro te Christe, & benedico tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum.*

*Septimò, deinceps in genua provolutus, quamvis divino conspectu indignum se reputare debeat, ac proinde de propriâ indignitate & defectibus dolere; nihilominus audeat se, suaque omnia Deo offerre: itaque faciet orationem præparatoriam modo supradicta.*

*Octavò, duo aut tria Præludia meditationi præmittat, ut supradictum est.*

*Nonò: propositam meditationem aggrediarut, incipiens à primo puncto, in quo si optatam devotionem consequatur, con*

*quiescat.*



### *Meditandi.*

quiescat sine transcurrendi anxietate donec sibi satisfecerit.

Modus meditandi erit, ut memoria partem materiæ suggerat; intellectus eandem benè examinet, donec voluntas moveatur ad amplectendum aut fugiendum, quod intellectus proponit. Ad quod plurimum conferet, considerare an personæ in meditatione occurrentes operentur conformiter naturæ, proprietatibus, & conditioni suæ, vel non: & omnia ad propriam instructionem trahere; his ita circa unum punctum peractis, paulatim eodem modo ad alia procedat.

Decimo, circa finem meditatio



nis, instituat unum aut plura colloquia, ut supra dictum, pro devotione, & concludat oratione aliquâ vocali.

*Undecimò.* Horâ meditationis completâ, sedens vel deambulans &c. per quartam circiter horæ partem secum dispiciet, quoniam modo meditatio successerit; & siquidem malè, inquiret causas, cum pœnitudine & emendationis proposito, sin vero benè, gratiasaget Deo, eundem deinde modum servaturus.

Examinet itaque *Primò;* quem modum servaverit in præparatione, in præsentia Dei formandâ, in oratione præparatoriâ, præludijs, exercitio memoriæ, in

relectus,



*Meditandi*

Intellectus, Voluntatis, & phantasia, toto meditationis decursu, & denique in colloquijs.

*Secundò*, an habuerit distractiones, & quem in ijs depellendis modum adhibuerit.

*Tertiò*, an consolationes affluerint, vel potiùs defolationes, earumque qualitates, & causas.

*Quartò*, Aridusne fuerit in discursu, an fœcundus, & causas similiter inquireat.

*Quintò*, Lumina intellectus colligat, quæ habuerit, sive nova illa sint, sive antiqua melius cognita.

*Sextò*, similiter colligat affectus voluntatis, examinetque

quales



*Praxis*

quales fuerint, amorisne, an odij.

*Septimò*, proposita facta colligat, ut executioni mandentur, eaque renovet.

*Octavò*, in libello ad hoc parato lumina omnia, dein affectus, & proposita, quam poterit brevissimè, & clarissimè adnotet.

*Praxis applicandi sensus.*

**P**rimò, procuret sive per meditationem modo supra dicto factam, sive per attentam & diligentem lectionem, ut materiam mysterij, cui sensus applicare vult, bene intelligat.

*Secundò*, diligenter exequatur, quidquid de meditatione dictum est, circa præparationem,

præsen-